

AEMILIVS PIOVESAN

**FRANCISCVS PETRARCHA PRO PATRIA
NOSTRA CONCORDIAM INVOCAT**

**EX III LIBELLO COMMENTARIORVM
QVI LATINITAS INSCRIBVNTVR
MENSE DEC. A. MCMLXXV EDITO**

FRANCISCVS PETRARCHA PRO PATRIA NOSTRA CONCORDIAM INVOCAT

Franciscus Petrarca, carmine suo, ITALIA MIA verbis ineunte, gravissima vulnera pulcherrimo Italiae corpori illata et principum inter se continue belligerantium infandum contemplatur ludibrium. Temporibus enim illis, quibus suam poeta agebat vitam, paeninsula nostra a catervis non modo Vindelicorum Germanorumque, sed etiam Pannoniorum, Britannorum, Gallorum, Hispanorum Sequanorumque maxime infestabatur.

Horum civilium bellorum pericula et caedes in animo eius horrorem auxerunt atque antiquae Romanorum virtutis memoria ita effecit, ut ex pectore illius nobilis eruperit ita adversus ignaviam atque arrogantiam Italicorum dominantium, quibus piam ut precem, inflammatam ut sermonem, fortem ut clamorem vocem suam admonentem mittit. Nec modo illis, qui levi causa inter se crudeli laniabantur bello, sed etiam omnibus Italicis optimatibus vox resonat poetae, ut ex Italiae sacro solo barbaros eiciant milites. Nec dissimili modo ex Dantis Alagherii pectoribus, molles amplexus Vergili Sordellique mirantis, amara in Italiam erumpit oratio.

- Nisi Italiae, infelicis Patriae nostrae - inquit maestus poeta - vulnera graviora (id est, intestina bella) sanare non potero, mihi tamen liceat quod Patria, suavissima mater iure ac merito a filio bono pioque exigit, ut de eius malis conquerar et illa lugeam. -

Deinde cum ad Deum a lacrimis temperans poeta se vertat, illum adprecatur, ut Italiam protegat ac servet et animos, crudeliore bello efferatos, ad veniam mutuamque dilectionem flectat.

Postea ad Italicos principes se convertit Petrarca, ex quibus quaerit, quidnam in paeninsula nostra tot barbarae copiae, quae solum nostrum protervius conculcant atque extraneo cruore terram maiorum nostrorum beatissimam rigant, adhuc inique agant. Quas in Patriam nostram - urget fremens poeta - advocavistis res vestras defensum, sed mercenarii milites serviunt domino melius se persolventibus, semper ad vos prodendum parati.

Caeca autem Italicorum rectorum ac pertinax cupiditas ita effecit, ut securitatem ac tranquillitatem Patriae nostrae funditus perderet; nam barbari ipsa natura loci vetante atque e beata paeninsula nostra illos excludente, in carissimam Deo terram pervenerunt. Nunc vere Italia similis est retentorum beluarum claustris, ubi meliores cives acriora patiuntur propter progeniem barbaricae illius gentis, cui nec lex neque moderata frena sunt ulla.

Huc leviter poeta Gaium Marium atque Iulium Caesarem attingit, qui in saevas ac barbaras gentes tam strenue pugnaverant, ut ex Vrbe aeterna continua pericula eminens retinerent : horum ducum exemplum Italicos omnes optimates incitet ad barbaros hostes e patrio solo expellendos, et usque tandem alma pax in Patria nostra adveniat.

- O vos qui Italicas fortunas geritis - implorat poeta - nolite nimis credere barbaricis militibus, nunc Italiam pererrantibus, qui et vosmetipsos et vestra turpius decipiunt. Nam periculis imminentibus in subitam deditionem veniunt, nec mortem obeunt pro vobis, sed iocose pugnant, et sic vobis, Italici rectores, saepe irridetur, quod barbaros milites bene persolvitis quasi et pro vobis et commodis vestris pugnent, sed illudunt vobis, qui inter vos interficitis non pecuniae cupiditate, sed ferocis odii impetu.

Hortatur denique poeta, ut Italici principes multarum lacrimarum dolorumque necnon calamitatum civium misereantur et caedes inutiles desinant, ut Patria nostra usque tandem libera sit et concordia et stabilis pax sit illi.

- Vobis quoque moriendum est - iterum plorat Petrarca - qua re obsecro vos omnes ex imo pectore, ut inimicitias vestras remittatis et omnia studia ad utilia ita conferatis, ut Italia, cara Deo, locus pacis ac prosperitatis sit beatus. Concludit poeta inflammatam orationem suam his verbis, quibus amorem ac dolorem exprimit : " Pacem, pacem, pacem ! " .

Verba novissima haec poetae, angore confecta, Patriae nostrae dilectissimae et omnibus gentibus totius orbis terrarum sint via recta ad fraternum amorem et ad veram pacem in iustitia et in Christo fundata.

A.EMILIVS PIOVESAN